



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

84. Quid in praedicta Traiectensi Synodo actum, Refutatur Marcellinus & simul aliqua illustrantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

inſcriptione, *Partes Reliquiarum SS. Wironis, Flechelmi, & Othgeri*, diligenter conſeruata fuerunt, quæ tempore Iconomachiæ Belgicæ anno 1572. Hereticis altaris tabulam euertentibus, ipſamque baſim intactam relinquentibus, ſingulari Dei prouidentia ab eorum furore ſunt deſenſa. Et modo religioſa memoria, ſolemni officio quotannis à Clero & Populo Ruræmundenſi honorantur. Hæc fuſius de Wirone eiufque ſodalibus, eo quod pene omnes Marcelliniano reti implicati, in ijs hallucinentur.

## DISSERTATIO LXXXIV.

Quid in prædicta Traiectenſi Synodo actum.  
Refutatur Marcellinus & ſimul aliqua  
illuſtrantur.



Respondet Marcellinus; PP. in ea decreuiſſe more Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti in diuerſas circumiacentes Barbaricas nationes preſtantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipſis Chriſti fidem & infra: *In ea concluſum & deſinitum, ut omnes primi prædicatores in exteris prouincijs prædicarent uerbum Dei.*

Si intelligat decretum in ea Synaxi, ut Prædicatores in diuerſas Friſiæ regiones pergerent, ſcilicet, Hollandiam, Zelandiam, Geldriæ partem, Friſiam modernam, Tranſſalanam ( quas tum Friſiæ nomen complectebatur cum aliquot vicinis ) habet me aſſenſorem. Hoc enim erat commodum, conueniens, imo neceſſarium ad fidem dilatandum, pabulum uerbi Dei utiliter diſpenſandum, & ad

ad ataxias confusionesque declinandum. Idipsum confirmat Becanus. Si verò intelligat missos in longinquas exterarum Regiones. vt in Franconiam, &c. quemadmodum sese postea explicat, omnino dissentio. Quomodo enim longe distitæ Prouinciæ ad Patres Synodi Traiectensis spectarent? vnde habebant potestatem eò mittendi? talem non apparet S. Willibrordus Româ tulisse, potius contrarium. In Frisia latissima Messis erat totâ pœnè Idolatrię serdibus inuolutâ; omnia laborum & sudorum erant plena. Quę prudentia fuisset ad longē absentia respicere? satius iudicarent PP. præsentem Spartam, ad quam emissi erant, omni conatu aggredi, eam excolere quam aliam respectando, præsentem minus elaborare, & neutram tandem exornare. Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et ipse Marcellinus suimet explicacione seipsum confundit & confodit. Post recitatum namque decretum & enumeratos eos qui tempore Synodi in Ecclesia Traiectensi versabantur, de quibus proxime disseruimus, explicaturus iam qui ex vi Synodalis ordinationis sint emissi & quò, subiungit: *Igitur S. Acca, vt ante est dictum, cum S. Swiberto in Angliam rediens à S. Wilfrido Episcopo Augulstadenſi Ecclesię Episcopus consecratur post sanctissimam vitam ibidem in Domino quieuit. Sanctus Wigbertus in Fostelanti martyrio coronatus fuit vt predictum est. Et statim: duo siquidem SS. Ewaldi Nabiam introeuntes, Christum predicando confessi sunt qui ab inde ascendentes in Saxoniam glorioso Martyrio coronati sunt. Quam belle! quã dexterè! Impertinens, extra institutum & male connexa est narratio. Quomodo enim quadrat proposito de Acca referre ante Synodum iuxta superiorem eius sententiam cap. 10. anno 695. in Britanniam reduce nec vnquam huc reuerso? Quomodo cum in Britannia affecit Synodus Ultraiectensis? Quid in Britan-*

Britannia ex vi Synodi egit? Quomodo coheret in Anglia esse & simul esse in Synodo externa? illum qui iam dudum dimissus erat, iam prius dimitti? Quid item hinc Wigbertus, duo Ewaldi diu per Martyrium cœlo recepti? Insigne artificium absentes Concilio Traiectensi presentes sistere, in Diuorum aula versantes, præcepto Synodali constringere. Bene autem hinc nominat Accam Episcopum Augustaldensem, non Lindisfarnensem: nam Lindisfarnensem non fuisse differt. 31. docuimus sicut dissertatione eadem qua certitudine tenendum sit eum ab Episcopo Wilfrido consecratum. Adde dissertatione eadem probatum esse Accam illum Augustaldensē S. Willibrordi conuenam non fuisse, in Frisia non egisse.

Pergit Marcellinus: *Sanctus Wilibaldus Orientalem Franciam adiens Aureatensis siue Eistatensis Episcopus effectus est. S. Winebaldus frater eius Heyndelamensis Abbas est ordinatus, quorum Germana Walburgis Virgo.* Hos cum Willibrordo hæc non nauigasse, & per Synodum in Franciam Orientalem ablegatos non esse, scitum est dissertatione 33. ex qua discimus S. Willibrordus anno 690. huc se contulit, dumque hæc Synodus celebratur, Wilibaldum nondum in lucem fuisse editum, natum scilicet anno 704. vel si eo anno Synodum coactam quis existimet, ad summum in cunis sub ea vagiisse: sic Winebaldum post aduentum Willibrordi prius mundo productum scilicet anno 700. & sub Synodo vel nondum natum vel infantem bimulum aut trimulum fuisse. Et hos Concilio sistit personatus Marcellinus: hos eius decreto in Orientalem Franciam prædicationis causa ablêgat.

De iisdem (quos Villeboldum & Villenboklum appellat) Marcellini similia habet Becanus in actis S. Willibrordi. Verum in mentem mihi venit, Becano (saltem

illi quem edidit Bernardus Furmerius anno 1612. ) obtigisse communem antiquis bonis Authoribus sortem à glossamentis & additamentis studiosorum ex zelo non secundum scientiam : nam in iisdem actis S. Egbertus S. Willibrordi director, Archiepiscopus Eboracensis intulatur, quod apertissimum vitium est.

Sequitur apud Marcellinū : *Lebuinus Pontificatum adeptus Martyrio prope Gandanum coronatur.* Hic iterum manifestè peccatum : Libuinus enim ille, seu Lebuinus, aut potius Liuinus, Scotorum Archiepiscopus in Flandriam, non in Frisiam venit; in pago Eschen haud procul Gandauo ab impijs trucidatus circa annum 633. Molanus, Baronius, Miræus 14. Nouembris alijque. Isonomia deceptus confundit Marcellinus Liuinum Gandensium Patronum cum Lebuino Dauentriensium Apostolo sub Gregorio tertio Ultraiectensium Præsule, qui Episcopali mitra non fuit insignitus ac Dauentriæ confessor, non Martyr, obiit post annum 750. & quidem secundum Ber. Furmerium anno 766. vtriusque obitu à se inuicè sæculo plus distante. Omitto nos dissertatione 34. probasse Lebuinum nec cum S. Willibrordo huc venisse, consequenter nec in Synodo Confessorem fuisse.

#### De SS. Werenfrido & Adelberto.

**S**equitur apud Marcellinum: *Sanctus Werenfridus Presbyter & egregius prædicator versus Batuan missus, nonnullum Christi populum in Elst & Westervoirt, & in finibus illis feliciter vixit & infinitis clarificatus miraculis tam in vita quam in morte idibus Septembris apud Westervoirt Spiritum Creatori reddens, miraculose in Elst tumulatur. Sanctus Adelbertus Leuita Filius Edilbaldi Regis Deirorum filij S. Oswaldi Re-*

gis & Martyris in Egmonda in Hollandia Oratorium construens, post multorum Paganorum conversionem & laudabilem Sancta vita sua consummationem multis miraculis clarus septimo Kalendas Iulij felici sine requieuit in Christo sepultus in Egmonda, ubi usq; in hodiernum diem claret infinitis miraculis. Is eximius confessor primus Archidiaconus Ecclesia Traiectensis fuit. Hic in quo carpamus Marcellinum nihil occurrit. Attestatur hoc modo Becannus: Unde & Beatus Adelbertus delegatus (à S. Willibrordo) fuit in Kenemariam ubi etiam in fide Catholica nouella conuersationis roborauit Ecclesiam, qui post plurimorum gentiliū conuersionem & laudabilem vitæ suæ consummationem septimo Kalendas Iulij felici sine quieuit in Domino sepultus apud Egmondam honore cōgruo cuius oratorium usque in hodiernum diem multimodis clare i virtutibus ac in magnis reuerentijs continuè veneratur à deuotis Christi- colis. S. vero Werenfridus Sacerdos præclarus versus Batuam ad prædicandum missus à S. Willibrordo Ecclesiam de Westersuert egregie rexit & exemplo bonæ vitæ plurimos Deo populos acquisiuit qui 13. Kalendas Septembris requieuit in Christo tumulatus in Helista alias in Ilist, ubi Beatus Clemens dudum Ecclesiam laboriose construxit quam in honorem S. Saluatoris. dedicauit. His cōtestantur Patriæ monumenta, templa ipsis dedicata, cultus exhibitus. Elucidemus tantum utrosque.

Westeruort aut Westersuert vicus est extra Batuam ex opposito Arnhemij non longè à fossa Drusiana.

Elist/ Eelstum, Hælisto, Ilist, Eliste, etiam Marithaine dictum, est nobile municipium in Batua ad Lingam amnem medio ferme itinere inter Arnhemum & Neomatum Geldriæ vrbes, quod Carolus Martellus donauit S. Willibrordo anno 726. Ornatum est Ecclesia Collegiata B. Werenfrido nuncupata, ubi de articularis morbi remedijs frequētari solet. De prodigiosa trāflatione corporis S.

Werenfridi ex Westeroort in Elst ad sepulturam, plura Leidenfis lib. 2. Annalium Hollandiæ. Nescio an ad omnium palatum. Silet eam Beca, forsan, quod dumtaxat haberet inter pias vulgarij narrationes. prædicauit etiã Werenfridus Medemblicæ & Durostadij. Molanus in Natalibus SS. 14. Augusti.

Dies obitualiſ Werenfridi videtur dubius. Marcellino est idibus Septembris: Becano, modo Typhographiæ vitium non sit, 13. Kalendas Septembris id est 20. Augusti. Ambobus contradicunt Leidenfis loco citato, Molanus in Martyrologio, in Indiculo Sanctorum, in Natalibus SS. Miræus in vita S. Willibrordi statuentes 14. Augusti, quod apparet esse iudicium Ecclesiæ Ultraiectensis, quæ eod die Werenfridi natalem celebrat sub Officio duplici, quod non videtur factura in peruigilio celeberrimæ Assumptionis B. Mariæ, nisi 14. Augusti mortis Werenfridi diem crederet. Ac valde vereor Becanum in nota numerali XIII. non esse purum ( editio enim Furmeriana, qua vtor, Calcographicis mendis scætet ) rescribendumque XIX. facile quippe vltimū X. incuria Graphiariorum aut Typothetarum dissectum in duo 11. degenerat transiſtque XIX. in XIII. Similiter Marcellinus vel falsus vel maculatus credi potest reponendumque loco Idibus Septembris Idibus Augusti id est 13. Augusti, quo eius solemnissimus a niuersarij Natalis initium sumens, primas obtinet vesp̄as.

Edelwaldum filium S. Oswaldi Regis Patrem S. Adelberti inter Reges Northumbrorum aut Deirorum non numerant Malmesburiensis, Huntondoniensis, Fasti Anglicani. Beda tamē lib. 3. Historiæ cap. 23. Regem nominat & in partibus Deirorum regnū habuisse. Forſan quod potens Princeps inter Deiros esset & proximus à Rege: solent

lent nam maiores Principes interdum Reges vel Reguli appellari, licet proprio Regi sint subiecti: vel quod filius Regis esset & de stemmate Regio. Fuit verò vir pius. SS. virorum studiosus, Fratres quatuor habens omnes præclaros Dei Sacerdotes, vitæ perfectione conspicuos. dignus tali filio Pater.

Kenemaria portio Hollandiæ est inter Alcmariam, Harlemum & Leijdam versus mare, vbi antiquos Caninefates habitasse nonnullorum est sensus. Hanc S. Adelbertus Evangelicâ luce illustravit. Sub ea continetur Egmonda, insigne municipium Oceano propinquum inter arenarios colles, portu littorali quondam gaudens, si Cornelio Aurelio fides, in quo Diuus Adelbertus Ecclesiam construxit, quam solemnî dedicatione Sacram Augustamque reddidit D. Willibrordus, attestâte Doufa Annal. Hollandicorum metricorum lib. 7.:

*O adyta, ô Diui quondam Domus Adelberti  
G Willibrordi ô priuâ fana dicata manu.*

**O**Rigo nominis, Egmonda, iuxta Leydensem lib. 2. Annalium cap. 21. ab ipso est Adelberto, quasi terra emundata per ipsum à spurcitiâ Idolorum, cum antea Hallem diceretur. Petrus Nannius tribuit D. Willibrordo: prius namque Engmundam dictam, quasi angustum os siue ostium eo quod ibi stagna Rheni aquas suas in Oceanum euomeret: postmodum S. Willibrordum (cui familiare erat locorum nomina ad speciem Christianismi paucis litteris immutatis trahere) solita sua festiuitate fecisse ex Engmunda Hæmundam, vnde Egmonda, quod ibi primum mundæ Religionis, id est Christianæ, homines inuenisset. Simili lusu in Heiloo (pagus est Egmōde propinquus

quus, S. Willibrordo & deuotus ) mutasse *Heiligeloof* non-  
nihil inflexo nomine alludentem ad Sanctam fidem.

Adelbertinam Ecclesiam, de qua supra, Frisij siue ex-  
teri Barbari funditus deleuerunt. Sed S. Adelberto post  
obitum miraculis coruscante, incolæ aliam reponunt ipsi  
Adelberto indigeti dicatam; quam succedente tempore  
cum Europæ Flagellum vastator Nortmannus in cineres  
redegisset, N. Theodoricus primus Hollandiæ Comes  
Nortmannis oppositus ijsque pulsus, restituit addito Mo-  
nasterio Sacrarum Virginitum ex lignis compacto. Cor-  
pus S. Adelberti, cuius memoria erat exoleta, inuen-  
tum honorifico loco religiosè collocari curat. De quo ibi-  
dem lib. 1. Doufa quamuis non Romano-Catholicus:

*Arserat hic Danis antiqua Ecclesia flammis;*  
*Ei reliquum Alberto nil, nisi nomen, erat.*  
*Rudera deserta solum superesse ruina*  
*Audijt Hollandi conditor Imperij.*  
*Audijt, ac neglecta diu sine honore iacere*  
*Longius Indigetis non tulit ossa sui.*  
*Nec mora, Texelia non una excinditur arbor,*  
*Ora dat innumeras Transsalana irabes,*  
*Suppeditat Goiana suas vicina syluas,*  
*Certat & officijs Municipalis Ager.*  
*Rubora caduntur Frisiâ Wasdana securi;*  
*Nullum operâ parcum non pudet esse suâ.*  
*Vt sit, ubi PRINCEPS cinerum sibi de electorum*  
*Posit honoratas condere Reliquias.*  
*Ecce noui Alberto Templi properantur honores,*  
*DIDERICO QVE recens Ausp. ce surgit opus.*  
*Deniq, quisquis adest, plus quàm pro parte laborat.*  
*AUGVSTO scires Numen inesse loco.*

Tempore

*Tempore quo Prasul ( ratio si ritè putata hac )  
Ultraiecinis Odilbaldus erat.*

*Inde Monasteri pergunt attollere molem,  
Primag, Virgineo Septa habitanda Gregi:  
Vestales qui sacra frequens obiturus ad Aras  
Sollennes peragat nocte dieq, Preces:  
Parua inquam, sed laxa illo pro tempore Septa,  
Vicinis etiam hac inuidiosa suis:  
Ligno structa licet, sederat reuerentia ligno,  
Quantam marmorea post habuerit Domus.*

Defuncto Theoderico primo succedaneus ei fit filius Theodericus secundus, cuius Imperium abnuentibus Westfrisij ingens exoritur bellorum tempestas quâ magna interitur vastities Kenemariæ, Egmondanâ Ecclesia rursus Vulcano traditur cum Monasterio. Indignatus Comes undique accitis auxilijs in rebelles mouet: secundo prælio subigit & imperata facere cogit. Egmondanam dein Ecclesiam restaurat cœnobio ligneo in lapideum cõuerso; amotisque sacris Vestalibus turbâ ad hosticos incursus pauidâ, Viros inducit anno 970. quod prosequitur idem ibidem lib. 2. post decantatam victoriam:

*Nec satis, Egmondi purgantur rudera Templi;  
Rudera si dici, materia vsta potest  
Hec quoque Victoris, post tot sua damna, Patroni  
Implorare Fidem visa piâsq, manus.  
Et meritiò: tantas quis enim sarcire ruinas  
Dignior? Alberto plaude; ( Cathedra, ) tuo.  
En latere è cocto recidua fabrica molis  
Surgit: & hinc operi Conditor ipse præst.*

*adjuante*

*Adjutante Patrem Nato, cui Relligionis  
 Ardor & in Superos ambitiosa Fides.  
 Nunc & damna juvant: sunt ipsa incendia tanti.  
 Ecce eadem, ut cultu splendidiore nitent.  
 Vix eadem esse putes: tantum noua forma priori  
 Dissidet, haud aliter fas habitare Deos.  
 Virginibus VESTÆ custodia digna Ministris;  
 Infula quas tangi Vitisq; nigra vetat.  
 Sed suspecta Sacris Vicinia contiguasq;  
 Westfrisia (ah) nimium sinibus esse nocet.  
 Ergo alio, DIDRICI Auspicijs, migrare iubentur,  
 Ad loca queis nomen BENNA Palusq; dedit.  
 Itapia, HEIMSTEDA Egmondam mutata Puella;  
 Dum licet, ite: Viris aptior ista Domus.  
 Hoc (alius, quam vim Frisonum hujus ut Ordinis ulla  
 Floret, & amissa damnapudicitia.  
 Quid iuuat (ah) fletu nitidos corrumpere ocellos?  
 Parcite lamentis; ipse medebor, ait.  
 Hactenus Arnulphi genitor; nec plura morata,  
 Transportant iustos in noua tecta Lares.  
 In quarum subière locum, COMITE Auspice, Patres  
 Ordinis eiusdem, Grex (BENEDICTE) tuus.  
 Vi foret & Sacris posset qua turba vacare,  
 Et simul Augustis presidio esse locis.  
 Dulcis erat mercede labor. ita Censibus, Agris,  
 Protensus & fundis res Cathedra aucta nouis.*

Postremò magnorum Principum subsequentiū Re-  
 gali munificētia in ingentem splendorem euasit, vndecim  
 Hollandiæ Comitum sepulchrum, Theodorici primi, The-  
 odorici 2. Arnulphi, Theod. 3. Theodorici 4. Florentij.  
 Gertrudis

Gertrudis viduę Saxonię, Theodorici 5. Florentij 2. Theodorici 6. Theodorici 7.

Rudera nunc,

*Et seges est ubi Troia fuit, ressecandaq; falce  
Externo floret vomere pinguis humus.*

**F**atalis S. Adelberti hora incidit in septimas Kalendas Iulij communi consentiente testimonio. Annum, ut & Werenf. apud vetustiores non reperio: solum apud Doufam Annalium Hollandiæ lib. 7. ex Chronico quodam ante annos 370. manu exarato legitur: *Adelbertus in loco qui dicitur Ekmonda, usq; ad obitum suum apud quemdam Egonem usq; ad tempus Caroli bellicosi Ducis (Martellum intellige) mansit, & circumpositam Regionem ad Christianam fidem ex magna parte perduxit & in eadem villa sepultus est. Super cuius sepulchrũ fideles Ecclesiam construxerunt, quam à Danis sæpius constat esse destructam: Dei tamen providente gratia inibi semper aliquis remansit qui corpus S. viri honestè servavit.* Ita ille, ex quo collige prædicationem S. Adelberti peruenisse ad minimum usque in annum 714. quo, Herstallo defuncto, Carolus gubernacula obrinuit; quod mihi longè verius est quam quod R. V. author Antiquitatũ Belgicarum asserat eum obiisse anno 705. Leuita intitatur, non, quantum existimare licet, quod Sacerdos non fuerit, aliàs enim saluti Gentilium & fidelium parum utilis extitisset, sed, vel quia in primo aduentu solum Leuitæ gradum habuerit, vel apud Willibrodum initio id officij obierit.

Prosequitur Marcellinus: *Et ego Marcellinus Presbyter inutilis à præfatis Pontificibus missus ad partes Transsalaras, ocum Aldenseel, Trentam, Trentam & Concordiam ac Pauenriam re go, &*

P P

Dei

*Dei p[ro]videntiã totum ferme populum Christum predicando lucr[us]  
eus sum.*

Verbis istis, Ego Marcellinus, scilicet, huius scripti Author, nigram theta affigo, cum ex dictis & dicendis satis constet huius libri compositorem non esse S. Marcellinum Frisiæ Apostolum S. Willibrordi cooperatorem, verum alium longè recentiore, sua sub nomine S. Marcellini venditantem. Contra quem etiam facit, quod probabilissimum sit recensita Patrie Urbiumque nomina post tempora Willibrordi prius vsum sumpsisse; In honorem nihilominus nostri Apostoli paucis enucleamus.

Transsalania, vulgo **Querijsel** / à situ trans Isalam nomen accepit, tamen pars illius fluminis eluione ripam mutavit. Clauditur nunc Geldria, Frisia, Westphalia. Veterum Francorum habitationem fuisse Iunius demonstrat, qui Franci distincti erant in Ansuarios & Salios. Dividitur hodie regio in tres partes: quarum, quæ Isalæ fluvio vicina, **D'isale** vulgo, latine Salandia; quæ vero trans Vidrum (**Decht**) sita **Drent** / siue Drenta, quæ autem Westphaliæ proxima, **Twent** siue Twentia appellatur. Continet Prouincia 7. vrbes mænibus cinctas, inter quas principales sunt Dauentria, Swolla, Càmpi. An illi nomen Transsalaniæ tempore S. Willibrordi fuerit cognitum, admodum dubito: Verosimilius mihi non nisi communi Frisiæ vocabulo gauisam fuisse: & hîc, sicut in sequentibus nominibus, aliquid Pseudomarcellaniani odoris spirare.

**Aldenseel** / latine Oldensalia, quasi vetus Salia, quod ibi antiqui Salij sedes habuisse putentur. Ciuitas est Transsalaniæ in Twentia.

**In Twenta / Twentiã Tubantes Taciti lib. 1. & 13. Annualium.**

nalium: In Trenta seu Drenta Cæsaris Tenchteros Francorum socios & Clientes confedisse, affirmat Iunius.

Couordia, Municipium est in Drenta ex decem primarijs Transsalaniæ locis non muratis, qui amplissimis dotati sunt priuilegijs; Hodie ab vnitarum Prouinciarum Ordinibus valide munitum.

Dauentria primaria vrbs Prouincię & Ansuariorum; vnde apud vulgares *Ansenstadt*. Situs illi ad dextram Isalæ ripam, à quo illi accedit magnum munimentum & ornamentum. Est namque nunc ambitu magna, edificijs publicis celebris, ædium pulcherrimarum frequentia nitide culta, ciuibus plena, mercimonijs famosa. Genuit Gerardum cognomine Magnum institutorem Clericorum seu Fratrum vitæ communis, cuius vitam fusè scripsit Thomas à Kempis. Quidam vrbi à potente quodam Dauone S. Lebuino familiarissimo sub Gregorio 3. Ultraiectensium Præsule appellationem obtigisse tradunt: alij à Twent, alij à Drêt tractam volunt. ego huiuscemodi remoram mihi non libenter inijcio.

Concludens hoc caput 14. Marcellinus, addit: *Permanet S. Willibrordus in Diœcesi sua Traiectensi feruenter predicando &c.* Quod verissimum esse dissertatione 123. probabimus contra vnus aut alterius malefanam scriptionem.

Quandoquidem iam occupati fuerimus repellendis vitijs cap. 14. Marcelliniani, hac occasione simul expurgemus quædam eiusdem Marcellini præcedentia. Ac 1. quod in præfatione ad Gregorium Clericos siue Religiosos in Ecclesia Ultraiectina residentes nominet Canonicos, Dominos & Magistros. Item cap. 4. Swibertum esse creatum Canonicum vt Wigbertum c. 5. cap. 14. Winfridum, quæ certe non sunt à manu veri Marcellini: nam cum primi illi Apostolici viri ex Anachorismo & Monachismo

chismo in Angliæ & Hiberniæ Monasterijs prodijissent, non est vero simile eos nomen hoc assumplisse, aut inter se usos fuisse, sed humiliori & Monachis siue veri nominis Religiosis magis competente. 2. Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 3. multis ostendit Clericos Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum antiquis illis sæculis dictos fuisse fratres, quam nomenclaturam non modo in Regula S. Augustini legi, sed passim obuiam esse in multarum Ecclesiarum Erektionibus, dotationibus, Priuilegijs & constitutionibus. Et quidem eiusdem nomenclaturæ leguntur plura testimonia in Ecclesia Ultraiectina, vt non sit opus aliunde probationes aduocare. 1. Bulla est Hendrici tertij Imperatoris qua anno 1040. sub Bernulpho Episcopo vigesimo donat Ecclesiæ Ultraiectensi villam Groningam in Comitatu Thrente cum omnibus eò pertinentibus *vt dictum pradiū perpetualiter respondeat seruitio & utilitati Fratrum ibi Deo incessabiliter seruientium, &c.*

Diploma Ottonis primi quo donat anno 944. eidem Ecclesiæ sub Baldrico Episcopo 15. totum quod in Pago *Liske* possidebat ad *usus Fratrum n. pramemorata Pontificalis Cathedra in duobus Monasterijs inibi Deo famulantium, &c.*

Et regnante Ottone tertio Frethebaldus nobilis bona sua in Teisterbantiâ sita donauit anno 997. S. Martino, *partim pro stipendiali usu Fratrum Pontificalis Cathedra, partim pro Fratribus utriusq. Monasterij.* Scilicet Saluatoris & Martini. Monasteria verò illa non fuisse Monachorum aut Religiosorum votis constrictorum, sed Clericorum in communi sine votis agentium, doctum est *diff. 80.*

Godebaldus Episcopus vigesimus quartus fraternæ charitati condescendens, donat anno 1118. Ecclesiam quandam in Occidentali Fresia in villa quæ Medenblec vocatur cum omnibus suis appendentijs & censu ad

cameram Episcopalem pertinente & circatu, & oblationibus *utilitati Fratrum in Ecclesia B. Martini Deo famulantium*, &c. Litteras dictarum donationum integras profert. G. Heda in Historia rerum Ultraiect. Et talem nomenclaturam Fratrum passim occurrere in antiquis scriptis ceterarum quoque Ecclesiarum, Leodiensis, Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, & Morinensis affirmat Molanus. Si in Cathedralibus, magnificis Collegijs, quantum magis in simpliciter Collegiatis aut tenuioribus fratres dici amabant: si posterioribus istis temporibus, quibus humilitas multum deficiebat, quanto magis anterioribus. Quod si reperiantur Canonici nonnunquam scribi, fit tantum, ut eorum qualitas significetur, tum ad distinctionem Acephalorum qui sine Canone vagabantur; tum ad differentiam proprie dictorum Monachorum. Unde probabile est hunc Marcellinum scriptorem vixisse illis seculis quibus relicta vita communi & abiecto nomine Fratrum tanquam nimis vili, usitate coeperunt nominari tam inter se quam apud alios, Canonici, Domini Canonici, *Dombeeren*, &c.

Capite 4. quod totum scabiosum est, habet: *eodem tempore tanta erat devotio hominum Angligenarum, postquam tota insula fidei sacramentis erat imbuta, ut non solum nobiles, ignobiles, clerici, laici, verum etiam Reges & filij regum de gente Anglorum, spreto regno & delitijs mundi eligerent ex maxima devotione ad tempus peregrinari pro Christo in terris: Quidam ad docendum indoctos, ut Columbanus Sanctus Abbas, qui cum duodecim Clericis Galliam perlustravit, & in fide confirmavit: quidam ad visitandum loca Sanctorum, utpote CradWala prapotens rex Anglia, & Offa rex Cantuariorum: qui anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono Romam proficiscentes, relicto regno temporalibus ut caelestis regni introitum & eterna gaudia adipisci possent à*

*S. Papa Sergio in monachos attonsi regi regum deuotè militarunt,*  
 Quibus verbis quinque aut sex lethales ictus infligit veritati. Primò, quod Offam intitulet regem Cantuariorum, contra Bedam & concordem omnium Anglicorum historicorum consensum, qui omnes conueniunt eum non Cantuariorum, sed Orientalium Saxonum fuisse regem De eo habet Malmesburiensis: *Orientalium Saxonum pauco tempore regnum moderatus est Offa filius Sigherij iuuenis iocundi vultus & animi, etatis florida & maximi apud ciues amoris, qui hortatu Kineswithæ Pendæ regis filia, cuius nuptias suspirauerat, caelestes suspirare doctus amores, Romam cum Kenedo rege Merciorum & Beato Egvino Episcopo Wictiorum iuit, ibique attonsus Regina calica suo tempore subiuit.*

Secundò, quod scribat Cradwallam, Ceadwallam debuisset dicere, cum Offa esse peregrinatum Romam, qui omnium eorundem Historicorum consensu, non cum Cadwalla, qui regnum inchoauit anno 686. & post duos annos regiminis iam diu obierat, sed cum Merciorum Rege Kenredo Offa Romam est profectus.

Tertiò, quod scribatur Romam profecti anno 689. quod omnibus isdem repugnat. Nam Offa primò cœpit regnare circa annum 701. & Kenredus regnum inchoauit circa annum 704. & teste Malmesburiensi quinto anno sui regiminis Romam iuit.

Quartò, quod scribatur Cradwalla præpotens Rex Angliæ; illud enim nomen Britannia tum non ferebat; eratque Cedwalla solùm Rex Occidentalium Saxonum.

Quintò, quod scribatur Ceadwalla factus Monachus, similiter contra cõmunem Anglorum sententiam, qui omnes solùm affirmant eum Romam profectum à Sergio Pontifice Baptizati & intra octiduum, quo in albis nouiter baptizati agere consueuerant, obijisse, & hoc notius esse quam

quam ut nostro indigeat illustrari relatu inquit Malmesburiensis lib. 1. de gest. Regum Anglorum. vide etiam Hunttondoniensem lib. 4. qui eius Epithaphiū Romę positum refert, in quo eadem narrantur & nihilum de monachatu. Offa verò & Kēredus Rex Merciorum simul Romam profecti ibidem monachismum amplexati sunt. Beda lib. 5. cap. 20. Malmesburiensis, Hunttondoniensis supra, Harpfeldius sæculo 8. cap. 8.

Eodem cap. Marcellinus: Angli foras peregrinantur, *Quidam ad docendum indoctos ut Columbanus Sanctus Abbas, qui cum 12. Clericis &c.* Quasi Colūbanus in Gallias concessisset eo tempore dum S. Swibertus in Monasterio Angliæ ageret Abbatem Dacorensem sub Egberto Archiepiscopo Eboracensi, cum S. Columbanus centū facile annis eò iuerit quam S. Swibertus cum S. Willibrordo in Frisiam, ut patet ex eius actis apud Historicos relatis. Obijt namque Columbanus anno 614. aut certè non longe post cum S. Willibrordus. & Swibertus in mundum nondum emerferant, & cum 30. plus minus annis tam in Gallia quam in Italia egisset.

Secundò, recenset inter Angligenas Columbanum esse Anglum, cum tamen non solum omnes Hybernicarum rerum scriptores, sed & passim alij eum faciunt Hybernum & ex Hybernia Galliam petijisse. De eo multa habet Historia Gregorij Turonensis siue Appendix ad annum 14. Theodorici Regis à quo eo anno in exilium est eiectus. Vide etiam vitam B. Eustatij discipuli S. Columbani apud Surium recentiore.

Similiter Iudocum & Winocum connumerat genti Angligenarum & filios Regis Angliæ. Credo scriptorem hunc legisse eos venisse ex Britannia & ignorans aliam Britanniam quam Transmarinam, quę modò Anglia vocatur

DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
 tur existimavit eos inde huc transfretasse, cum solum ve-  
 nerint ex Britannia minori quae est pars Franciae: pater  
 enim Winoci erat Iudicail Rex Britonum de quo agit Ga-  
 guinus in Historia Francica. Vide Molanum in natali-  
 bus sexta nouembris: Miraeum in fastis & Annalibus Bel-  
 gicis ad annum 695. an Winocus fuerit frater Iudoci, vide  
 eundem in Annalibus ad dictum annum.

DISSERTATIO LXXXV.

De B. Begga Apostolicorum Virorum  
 faultrice & adiultrice.



IN calamum quoque nostrum venire  
 conuenit B. Begga, tum quod Illustris-  
 simi Principis Pipini Herstalli, cuius  
 auspicijs, autoritate, ope, Frisia ad  
 Christum est promota, genitrix fue-  
 rit: tum quod credibile sit eam Apo-  
 stolicorum Doctorum, vt Amandi, Eli-  
 gij, desideratissimam, S. Willibrordo  
 apud natum plurimum fauoris conciliaffe Frisiaeque salu-  
 tem, quantum in ipsa fuit, adiuuiffie; tum quod in actis  
 nostrorum Sanctorum eius memoria nonnumquam oc-  
 currat.

Ortuunda est stemmate nobilissimo pariter & sanctissi-  
 mo, patre S. Pipino Landensi Austrasiae Principe, in se-  
 rie Brabantiae Ducum primo, matre S. Itta alias Iduber-  
 ga. Cognati, affines poene omnes nota sanctitatis cele-  
 bres, vt S. Gertrudis soror fundatrix (potius confunda-  
 trix cum Matre) & prima Abbatisa Coenobij Niuellensis  
 totius Brabantiae antiquissimi: Grimoaldus frater, Maior  
 domus